

is utitur consilio, ne suorum quidem, sed suo; quod non multo secus fieret, si is rempublicam teneret, quem secuti sumus. An, qui in bello, cum omnium nostrum conjunctum esset periculum suo cerneret, certorum nominum minime prudentium consilio uteretur, eum magis communem censemus in victoria futurum fuisse, quam incertis rebus fuisset? et qui nec te consule tuum sapientissimum consilium secutus esset, nec fratre tuo consulatum ex auctoritate tua gerente, nobis auctoribus uti voluerit, nunc omnia tenentem nostras sententias desideraturum censes fuisse? Omnia sunt misera in bellis civilibus, quae maiores nostri ne semel quidem, nostra aetas saepe jam sensit: sed miserius nihil, quam ipsa victoria; quae etiam si ad meliores venit, tamen eos ipsos ferociores impotentioresque reddit, ut etiam si natura tales non sint, necessitate esse cogantur. Multa enim victori, eorum arbitrio, per quos vicit, etiam invito, facienda sunt. An tu non videbas mecum simul, quam illa crudelis esset futura victoria? igitur tunc quoque patria careres, ne, quae nolles, videres? Non, inquires: ego enim ipse tenerem opes et dignitatem meam. At erat tuae virtutis, in minimis tuas res ponere, de republica vehementius laborare. Deinde, qui finis istius consilii est? Nam adhuc et factum tuum probatur, et, ut in tali re, etiam fortuna laudatur: factum, quod et initium belli necessario secutus sis, et extrema sapienter persequi nolueris: fortuna, quod honesto otio tenueris et statum et famam dignitatis tuae. Nunc vero nec locus tibi ullus dulcior esse debet patria: nec eam diligere minus debes, quod deformior est, sed misereri potius: nec eam multis claris viris orbatam, priyare etiam adspectu tuo. Denique si fuit magni animi, non esse supplicem victori; vide, ne superbi sit, aspernari ejusdem liberalitatem: et, si sapientis est carere patria, duri non desiderare: et, si republica non possis frui, stultum est nolle privata. Caput illud est, ut si ista vita tibi commodior esse videatur, cogitandum